der öffentlichen Prüfung

der

Zöglinge des Friedländischen Gymnasiums

welche

Donnerstag und Freitag den 2. und 3. October

im Schulsaale abgehalten werden soll

ladet ehrerbietigst und ergebenst ein

Dr. Robert Unger
Director.

Inhalt:



Neubrandenburg,
Druck der Buchdruckerei von H. Gentz.
1851.

M. Terentii Varronis

Curio de Cultu deorum

scripsit

Leopoldus Krahner.

M. Terentii Varronis

Curio de Cultu deorum.

I. Fragmenta.

1. Augustinus de Civit. dei lib. VII. c. 9.: Magis enim Jovi universum solent tribuere, unde est illud: Jovis omnia plena. Ergo et Jovem, ut deus sit, et maxime ut rex deorum, non alium possunt existimare quam mundum: ut in diis ceteris, secundum istos suis partibus, regnet. In hanc sententiam etiam quosdam versus Valerii Sorani exponit idem Varro in eo libro, quem seorsum ab istis (i. e. Antiquitt. rer. div.) de cultu deorum scripsit, qui versus hi sunt:

Juppiter omnipotens, regum rex ipse deusque,
Progenitor, genitrixque deum, deus unus et omnis.

Exponuntur autem in eodem libro ita, ut eum marem existimarent, qui semen emitteret, feminam, quae acciperet, Jovemque esse mundum et eum omnia semina ex se emittere et in se recipere, qua causa, inquit, scripsit Soranus, Juppiter progenitor genitrixque, nec minus cum causa, unum et idem (sic) omnia esse; mundus enim unus et in eo uno omnia sunt. — Ib. c. 11.: Cogito enim posse responderi, et ipsam Junonem nihil aliud esse, quam Jovem, secundum illos Valerii Sorani versus, ubi dictum est:

Juppiter omnipotens, regum rerumque deumque
Progenitor genitrixque deum.

vid. c. 13. c. 16.

(2.) August. de Consensu Ev. I, 22.: Varro autem, quo doctiorem apud se neminem inveniunt, deum Judaeorum Jovem putavit, nihil interesse censens, quo nomine nuncupetur, dum eadem res intelligatur, credo illius summitate deterritus [Civ. D. XIX. 22.: Jpse est deus, quem Varro, doctissimus Romanorum, Jovem putat, quamvis nesciens, quid loquatur. Quod tamen ideo commemorandum putavi, quoniam vir tantae scientiae nec nullum istum deum potuit existimare, nec vilem; hunc enim eum esse credidit, quem summum putavit deum.]. Nam quia nihil superius solent colere quam Jovem, quod capitolium eorum satis aperteque testatur, eumque regem omnium deorum arbitrantur: cum animadverteret, Judaeos summum deum colere, nihil aliud potuit suspicari, quam Jovem.— Nos Jovem colimus, de quo ait Maro: Jovis omnia plena: id est ommnia vivificantem spiritum. Merito ergo et Varro Jovem opinatus est coli a Judaeis, quia dicit per prophetam, coelum et terram

ego impleo (Jer. 23, 24.). Ib. c. 27.: si deum Israel Jovem putant, sicut Varro scripsit, ut interim secundum eorum opinionem loquar, cur ergo Jovi non credunti dola esse delenda? —

(3.) August. C. D. IV, 9.: — officium majorum deorum debemus inquirere, quo Roma tam magna est facta, ut tam diu tot gentibus imperaret. Nimirum ergo Jovis hoc opus est. Ipsum enim deorum omnium dearumque regem esse volunt: hoc ejus indicat sceptrum, hoc in alto colle Capitolium. Hunc Varro credit etiam ab his coli, qui unum deum solum sine simulacro colunt, sed alio nomine nuncupari. Quod si ita est, cur tam male tractatus est Romae — ut ei fieret simulacrum? Quod ipsi etiam Varroni ita displicet, ut quum tantae civitatis perversa consuetudine premeretur, nequaquam tamen dicere et scribere dubitaret, quod hi, qui populis instituerunt simulacra, et metum dempserunt et errorem addiderunt.

(4.) Id. IV, 31.: Quibus verbis (ex lib. X. Div. petitis, ut dicam infra) Varro, homo acutissimus, satis indicat, non se aperire omnia, quae non sibi tantum contemptui essent, sed etiam ipsi vulgo despicienda viderentur, nisi tacerentur. Ego ista conjicere putari debui, nisi evidenter alio loco ipse diceret de religionibus loquens, multa esse vera, quae non modo vulgo scire non sit utile, sed etiam, tametsi falsa sint, aliter existimare populum expediat, et ideo Graecos teletas ac mysteria taciturnitate parietibusque clausisse. Hic certe totum consilium prodit velut sapientium, per quos civitates et populi regerentur. —

(5.) Ibid. Dicit etiam idem auctor acutissimus atque doctissimus, quod hi soli ei videantur animadvertisse, quid esset deus, qui crediderunt eum esse animam motu ac ratione mundum gubernantem.

(6.) Ibid. Dicit etiam antiquos Romanos plus quam annos centum et septuaginta deos sine simulacro coluisse. Quodsi adhuc, inquit, mansisset, castius dii observarentur. Cujus sententiae suae testem adhibet inter cetera etiam gentem Judaeam; nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat: qui primi simulacra deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis et metum dempsisse et errorem addidisse, prudenter existimans, deos facile posse in simulacrorum stoliditate contemni.

(7.) Ibid. c. 32. Dicit etiam de generationibus deorum magis ad poetas quam ad physicos fuisse populos inclinatos, et ideo et sexum et generationes deorum majores suos, id est veteres credidisse Romanos et eorum constituisse conjugia.

(8.) Subjiciam verba Plutarchi, quem Varronis illum locum (fr. 6.) exscripsisse puto; in qua opinione etiam Ambroschium video esse (Andeutungen cet. p. 6.); quamquam Varro de Pythagorae aetate alia tradiderat, atque quae Plutarcho placent. Is igitur in Numa c. 8. haec habet: *Οὗτός τε διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα θεοῦ Ῥωμαίους νομίζειν. Οὐδ᾽ ἦν παρ᾽ αὐτοῖς οὔτε γραπτὸν οὔτε πλαστὸν εἶδος θεοῦ πρότερον, ἀλλ᾽ ἐν ἑκατόν ἑβδομήκοντα τοῖς πρώτοις ἔτεσι ναοὺς μὲν οἰκοδομούμενοι καὶ καλιάδας ἱερὰς ἱστῶντες, ἄγαλμα δ᾽ οὐδὲν ἔμμορφον ποιούμενοι διετέλουν, ὡς οὔτε ὅσιον ἀφομοιοῦν τὰ βελτίονα τοῖς χείροσι, οὔτ᾽ ἐφάπτεσθαι θεοῦ δυνατὸν ἄλλως ἢ νοήσει.* Tertullianus vero, quem C. A. Boettiger (Ideen cet. I. p. 246.) ea, quae Apol. c. 25. de vetustissimae religionis castitate tradit (cf. ad Natt. II, 17.), ex eodem fonte hausisse dicit, quoniam ipsis templis abstinuisse docet antiquos Romanos, non Varronem habet auctorem.

(9.) Clemens Alex. Adm. p. 30. A. Sylb.: Ἐν Ῥώμῃ τὸ παλαιὸν δόρυ φησὶ γεγονέναι τοῦ Ἄρεως τὸ ξόανον ὁ Οὐάῤῥων ὁ συγγραφεύς, οὐδέπω τῶν τεχνιτῶν ἐπὶ τὴν εὐπρόσωπον ταύτην κακοτεχνίαν ὡρμηκότων· ἐπειδὴ δὲ ἤνθησεν ἡ τέχνη, ηὔξησεν ἡ πλάνη.

(10.) Arnobius adv. Natt. VI. 11.: Ridetis, temporibus priscis — coluisse — pro Marte Romanos hastam, Varronis ut indicant Musae.

(11.) Idem VII, 1.: — sacrificia nulla? Ut non nostra sed Varronis vestri sententia respondeamus, nulla. Quid ita? Quia, inquit, dii veri neque desiderant ea neque deposcunt; ex aere autem facti, testa, gypso vel marmore multo minus haec curant; carent enim sensu, neque ulla contrahitur, si ea non feceris, culpa, neque ulla, si feceris, gratia.

12. Val. Probus in Virg. Buc. 6, 31. p. 21. ed. Keil: . . Et Varro in Logistorico, qui inscribitur Curio de deorum cultu, cognomenta magnorum deorum: Tres arae sunt in circo medio ad columnas, in quibus stant signa: in una inscriptum DIIS MAGNIS, in altera DIIS POTENTIBVS, in tertia DIIS TERRAE ET CAELO. In haec duo divisus mundus. Item duo initiales, unde omnia et omnes orti et hi dii magni appellati in Samothrace.

Hoc fragmentum ex pleniore Probi codice (vid. Keil. praef. IX. sq.) jam Pomponius Sabinus commentariis suis in Virg. Aen. I. 67. p. 398. Basil. ita inseruerat, ut scriberet in principio: „de diis magnis Varro in logistorico cet.“, et in fine: — „caelo et hi sunt dii magni et Penates virilis speciei.“ Ex Pomp. Sabini commentariis integrum libri titulum primus prodidit C. Barthius Advers. VI, 6. p. 267.

(13.) August. C. D. VII, 28.: Hinc etiam Samothracum nobilia mysteria in superiore libro sic interpretatur, eaque se quae nec suis nota sunt scribendo expositurum, eisque missurum quasi religiosissime pollicetur. Dicit enim se ibi multis indiciis collegisse, in simulacris aliud significare coelum, aliud terram, aliud exempla rerum, quas Plato appellat ideas; coelum Jovem, terram Junonem, ideas Minervam vult intelligi: coelum a quo fiat aliquid, terram de qua fiat, exemplum secundum quod fiat.

14. August. C. D. III, 9.: Quanto enim minus occupatum eum (Numam) invenerant (daemones), tanto magis ipsi occupaverunt. Nam quid ille molitus sit, et quibus artibus tales deos sibi vel illi civitati consociare potuerit, Varro prodit, quod suo diligentius disseretur loco.

15. August. C. D. VII, 34.: Sed contra invenimus, sicut ipse vir doctissimus (Varro) prodidit, de Numae Pompilii libris, redditas sacrorum causas nullo modo potuisse tolerari. — Jam enim dicam, quod in tertio libro — promiseram. Nam sicut apud eundem Varronem legitur in libro de cultu deorum: Terentius quidam, cum haberet ad Janiculum fundum, et bubulcus ejus, juxta sepulcrum Numae Pompilii trajiciens aratrum, eruisset ex terra libros ejus, ubi sacrorum institutorum scriptae erant causae, in urbem pertulit ad praetorem. At ille cum inspexisset principia, rem tantam detulit ad senatum. Ubi quum primores quasdam causas legissent, cur quidque in sacris fuerit institutum, Numae mortuo senatus assensus est, eosque libros tanquam religiosi patres conscripti, praetor ut combureret, censuerunt.

16. August. C. D. VII, 35.: Nam et ipse Numa — hydromantiam facere compulsus est, ut in aqua videret imagines deorum — a quibus audiret, quid in sacris constituere atque observare

deberet. Quod genus divinationis idem Varro a Persis dicit allatum, quo et ipsum Numam, et postea Pythagoram philosophum usum fuisse commemorat; ubi adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari et νεκυομαντίαν graece dicit vocari. — Quod ergo aquam egesserit, id est exportaverit Numa Pompilius, unde hydromantiam faceret, ideo Nympham Aegeriam conjugem dicitur habuisse, quemadmodum in supradicto libro Varronis exponitur.

(17.) Isidorus Origg. VIII, 9, 12. 13. Hydromantii ab aqua dicti; est enim hydromantia in aquae inspectione umbras daemonum evocare et imagines vel ludificationes eorum videre, ibique ab eis aliqua audire, ubi adhibito sanguine etiam inferos perhibentur suscitare. — Quod genus divinationis a Persis fertur allatum. Varro dicit, divinationis quatuor esse genera, terram, aquam, aerem et ignem; hinc geomantiam, hydromantiam, aeromantiam, pyromantiam dictam. (Repetit haec Servius in Virg Aen. III, 359. et Joannes Sarisberiensis Policr. I, 10. sic: Varro autem, curiosissimus inter philosophos, quatuor species divinationis ab elementis mutuatus est: pyromantiam scilicet, aeromantiam, hydromantiam et geomantiam. Cf. Mythographus III. 12.)

(18.) Apulejus de Magia c. 42.: Memini me apud Varronem philosophum, virum acuratissime doctum atque eruditum, cum alia ejusmodi tum hoc etiam legere: Trallibus de eventu Mithridatici belli magica percontatione consulentibus puerum, in aqua simulacrum Mercurii contemplantem, quae futura erant centum sexaginta versibus cecinisse.

Primum faciendum est, utqu as habuerim componendi rationes aperiam. Fragmenta quidem, quae Augustinus servavit, quibus Varronis libris et quo ordine sint reddenda, quaestio est a Popma reliquisque, qui antiquo tempore his rebus operam dederunt, omissa, a Franckenio (Fragmenta Varronis, quae inveniuntur in libris Augustini de civitate dei. Lugd. Bat. 1836. vid. p. 11. 31.) et a Merkelio, ut ab suo instituto aliena, vix inchoata. Vide Prolegg. Ovid. Fast. p. CXI. sq. CCXXIV. Hic tamen eo verum fragmentorum illorum ordinem turbavit, quod quaedam eorum, quae Varro de naturali theologia „praelocutus est," primi libri fragmentis obtrudit, quam ipsi aliquando (de philos. Varronis p. 13.) propriam illius disputationis sedem fuisse opinati sumus. Causa erroris est Cicero, dicens, Varronem in p r o o e m i i s antiquitatum philosophice scripsisse. Integros antem libros Cicero vix p r o o e m i a vocaverit, vide Epp. ad. Attic. XVI, 6.; atque prooemiis, ut a Cicerone et a Varrone ipso in libris rerum rusticarum factum videmus, non primos solos sed etiam alios libros bipartiti illius operis ornasse censendus est: fortasse etiam decimum, qui erat de ludis scenicis. Certe naturalis theologiae breve illud compendium positum fuisse in prooemio libri XVI., vel hoc argumento lucet, quod physicae illae interpretationes ad solos deos selectos ita pertinebant, ut inde quaedam ad alios deos ex selectorum deorum natura explicandos redundarent, et Augustinus docet, cum dicit VII, 5., Varronem in libro de diis selectis, paucissima praeloquentem de naturali theologia, „p r i m u m c o m m e n d a s s e" istam (Merkel. lib. I. fr. 10.) pandendo secretam mysteriorum doctrinam, deinde (c. 6. in.) „a d h u c p r a e l o q u e n t e m" theologiae naturalis ipsum systema proposuisse (Merkel. lib. I. fr. 7.); quod judicium confirmatur verbis c. 17. positis: „Varro in libro de diis selectis, postquam praelocutus est, quae ex naturali theologia praeloquenda putavit," —. Unde neque illud amplius pro in-

certo haberi debet, ea, quae VII, 23. de tribus animae gradibus ex eodem libro produntur, non in principio ejus libri posita fuisse (Merkel. l. l. p. CCXXIV.) sed in medio libro interposita inter deorum selectorum mares et feminas. Quod enim August. l. l. addit: „redeat ergo ab hac, quam theologiam naturalem putat, quo velut requiescendi causa ab iis ambagibus et anfractibus (i. e. a deorum selectorum ut civilium explicationibus) fatigatus egressus est, redeat inquam ad civilem" — et: „fieri tamen potest, ut, licet in illam naturalis theologiae veluti libertatem (vide infra) caput erigere paululum voluisse videatur, adhuc tamen hunc librum versans et se in illo versari cogitans, eum (librum h. e. religionem civilem) etiam inde (h. e. ex philosophia naturali) respexerit (VII, 5.: in quo libro videbimus, utrum per interpretationes physiologicas ad hanc naturalem theologiam possit referre civilem, quam de selectis [„hujus civilis theologiae vanitates" c. 17.] ultimam scripsit), — haec, inquam, non possunt de libri initio dicta esse. Denique dubito an verba Varronis ab August. VII, 28. prolata: dicturus de feminis, hoc est de deabus, „quoniam, inquit, ut in primo libro dixi de locis, duo sunt principia animadversa de coelo et terra, a quo dii partim dicuntur coelestes partim terrestres, ut in superioribus initium fecimus a coelo — sic de feminis — a Tellure," non ut novum fragmentum cum Merkelio ad lib. V. referri debeant, qui est primus inter tres illos de locis scriptos, sed repetita sint ex libri XVI. eo loco, quo (vid. August. VII, 6. Merkel p. CCXXVI. Bip. p. 223.) de deorum sedibus disseruit. Traduntur in utroque loco prorsus eadem, et quae ibi aeriae animae vocantur, heroes, lares, genii, eae hoc loco terrestres censentur, ut qui per consecrationem ex hominibus dii facti ad caelestes sedes non perveniant. In quibus nominibus duplicem inesse notationem, tum naturae tum sedium, vel ex eo perspicuum est, quod Augustinus c. 23. Varronem sibi parum constitisse narrat. Quod ita dijudicandum videtur esse, ut Varronem, sicut pro more suo in multis aliis rebus fecit, ita etiam deos secundum locorum diversitatem distribuisse dicamus. Librum V. autem si significare voluisset, dicturus videtur fuisse: „ut in primo libro de locis dixi", sive: „ut dixi in primo libro de locis." Etiam L. L. V, 184. in primo libro dixisse se commemorat, quod in principio ejusdem libri, quem tunc scribebat, posuerat. Sed in his unicuique suum esto liberum judicium; neque enim sunt tanti momenti, quum rerum divinarum libris illas deberi particulas certum sit. Gravius est, quod fragmenta quaedam, rerum divinarum libris illata, in his non propriam suam sedem habuisse potest demonstrari, quae ad Curionem pertinere admodum probabili conjectura mihi videor pronuntiasse. Et primum quidem nobilissima illa fragmenta, quae quarto, quinto, sexto, septimo loco posuimus, Augustinus, Varronis ingenium aut prorsus ignorans aut simulate deformans, eum in finem profert, ut illum, et oppressum auctoritate majorum et imbutum ea quorundam velut sapientium fallacia, qua falli civitates in religione putabant expedire, doceat non omnia quae sciret aperuisse et civibus commendasse, quae falsa aut turpia esse ipse intellexisset. Id factum a Varrone dicit in ludis scenicis, IV, 31. his verbis: quid Varro, quem dolemus in rebus divinis ludos scenicos quamvis non judicio proprio posuisse, — nonne ita confitetur: non se illa judicio suo sequi, quae civitatem Romanam instituisse commemorat, ut, si eam civitatem novam constitueret, ex naturae potius formula deos nominaque deorum se fuisse dedicaturum non dubitet confiteri? — addens, eum evidenter consilium suum aperuisse alio loco de religionibus loquentem. Jam sequuntur illae quatuor particulae eo ordine, quo nos eas posuimus, interjectis enuntiatis aliquot, quibus Augustinus

fallacem esse Varronem pronuntiat, eumque, si contra praejudicia consuetudinis liber esse potuisset, affirmat unum deum colendum suasurum fuisse, denique (c. 32.) generationes et conjugia deorum sapientes et principes instituisse docet, ut falsa religionis nomine tanquam vera suadendo cives civili societati arctius alligarent. Sunt autem ea fragmenta sententiarum similitudine ita conjuncta, ut ex uno eodemque libro petita esse videantur, id quod etiam Augustinum opinor significasse ter posito illo: „dicit etiam“. Jam quod Augustinus allucinatus est de Varrone veritatis dissimulatore, id VI, 4., de primo divinarum libro loquens, ut res ipsa flagitat, eo usque extendit, ut Varronem dicat, confitentem, se prius de rebus humanis scripsisse, postea de divinis, quia divinae ab hominibus institutae essent, tecta significatione monstrare voluisse, se rerum non divinarum sed vanarum opiniones, se de falsitate non de veritate scripturum esse; idque eum tantum non aperte dicere voluisse sed intelligentibus reliquisse: „quod apertius alibi posuit, sicut in quarto libro (c. 31.) commemoravi: ex naturae formula se scripturum fuisse, si novam ipse conderet civitatem, quia vero jam veterem invenerat, non se potuisse nisi ejus consuetudinem sequi.“ In his quod dicit: „apertius alibi posuit, sicut in quarto libro commemoravi,“ id ita comparatum est, ut sanctum patrem parum accurate scripsisse intelligas. Nam quum in illo libri quarti capite 31. duos locos excitet, quibus, altero tectius altero apertius, Varro falsa se scripsisse ipse confiteri videatur, profecto dubium est, utrum hic intelligi velit: nam quod dicit „apertius“, id suspicionem movet, alterum dici locum, quem sic infert: „nisi evidenter alio loco diceret,“ contra quod addit: „ex naturae formula se scripturum fuisse, si —,“ id apertum est ad priorem locum pertinere. Qua re eo adducor, ut Augustinum non alterum utrum locum sed utrumque respexisse putem, hoc est, quod utrique comune est: nimirum Varronem falsa pro veris vendidisse scientem. Quae illic separatim posita sunt, hic in unum male conflantur: quod enim h. l. Varronem dicentem facit, se ex naturae formulae scripturum fuisse, id Varro IV, 31. sic dixit: „ex naturae formula deos et deorum nomina se fuisse dedicaturum“; scripturum autem fuisse eum ad naturae formulam, hoc est „fassurum fuisse et suasurum, unum deum sine simulacris colendum esse, si aliquid contra vetustatem tanti potuisset erroris, aut meliora docere quam fallere cives maluisset“, id Augustini judicium est de Varrone ex illis locis, maxime ex posterioribus, ut apertioribus, fallaciter extortum. Habes igitur tres locos Varronis ex tribus diversis libris repetitos. Et hunc quidem, VI, 4.: „Sicut prior est —“ ex libro I. divinarum esse, omnes consentiunt; ergo illa IV, 31.: „non se illa judicio suo sequi —“ non sunt ejusdem libri, cui ea, in duas particulas disjuncta, a Merkelio, quamvisis dubitanter id fecerit, injecta vidi. Quae cuinam libro debeantur, non difficile ad conjectandum est animadvertenti, Augustinum ea allaturum haec posuisse: „Quid ipse Varro, quem dolemus in rebus divinis ludos scenicos, quamvis non judicio proprio, posuisse“ —. Nonne igitur Varro haec in eo libro dixisse putandus est, quo ludorum scenicorum sacra enarravit et purgavit? Quae res, sanctis patribus prae ceteris invisa, ampliorem, qualem hunc quidem instituere in animo non est, desiderat quaestionem (vide August. C. D. VII, 33. VIII. 5.). Quod ita esse, alio loco, C. D. IV, 1., quodammodo demonstravit satis memorabili hoc: „— ut suis criminibus delectentur (dii), quae sibi celebrari per sua festa voluerunt, ut a perpetrandis damnabilibus factis humana revocari non possit infirmitas, dum ad haec imitanda velut divina praebetur auctoritas. Haec non ex nostra conjectura probavimus sed — ex litteris eorum, qui non tanquam in contumeliam

sed tanquam in honorem deorum suorum [cf. IV, 31 — „se ad eum finem illa scribere ac perscrutari, ut potius eos magis colere quam despicere vulgus velit"] ista conscripta posteris reliquerunt: ita ut vir doctissimus apud eos Varro et gravissimae auctoritatis — non saltem in rebus humanis sed in rebus divinis poneret ludos scenicos —. Quod profecto non auctoritate sua [cf. IV, 31. „non se illa judicio suo sequi"] fecit, sed quoniam eos Romae natus et educatus in divinis rebus invenit." Igitur alterum illud fragmentum, quin libro decimo rerum divinarum inseri debeat, vix dubium videtur; quid quod a vero non longe aberrasse videmur, si haec pronuntiaverimus, lecta fuisse in aliquo ejus libri prooemio de servanda consuetudine majorum scripto? Tertium denique locum (fr. 4.) neque ad primum neque ad decimum librum, in quibus similes sententiae legebantur, pertinere intelligimus. Jam quod diximus, illas quatuor particulas magna similitudine sententiarum inter se junctas, ad nullum divinarum rerum librum sed ad alium quendam una omnes rejiciendas videri, ei opinioni magnum probabilitatis momentum accedere confiteberis, si etiam reliquas particulas demonstrari poterit ab Augustino ita notari, ut et ex alio loco petitae esse dicantur et ad res in rerum divinarum libro aliquo dictas adhibeantur examinandas. Et ea quidem, quae ex Augustino IV, 32. sumpta septimum fragmentum esse voluimus, de generationibus et conjugiis deorum, Augustinus VI, 6. ita repetit, ut post verba Varronis, adhuc in fragmentorum collectione omissa a Merkelio autem recte libro I. inserta: „quare quae sunt communia cum poetis una cum civilibus scribemus. E quibus major societas debet esse nobis cum philosophis quam cum poetis" ipse addat (ita enim oratio est refingenda): „non ergo nulla cum poetis. Et tamen alio loco dicit de generationibus deorum magis ad poetas quam ad physicos fuisse populos inclinatos. Hic (h. e. in. lib. divin. I.) enim dicit, quid fieri debeat („ut magis colant."), ibi, quid fiat (λογιστορικῶς?)". Et quo omnis tollatur dubitatio peropportune factum est, quod etiam ea, quae fr. 6. ex August. IV, 31. (coll. fr. 3. August. IV, 9.) exscripsimus, Augustinus iterum adhibuit ad res tentandas in libb. Divin. prolatas. Postquam enim VII. 5., qui locus plurimum confert ad hanc quaestionem dijudicandam, dixit, Varronem in libro XVI. divin. naturalem theologiam eo commendasse, ut, simulacra humanae speciei signa esse immortalis animi h. e. dei, ex mysteriis doctrinae doceret, Varronem compeat his: „Sed dic, homo acutissime, num in istis doctrinae mysteriis illam prudentiam perdidisti, qua tibi sobrie visum est, quod hi, qui primi populis simulacra constituerunt, et metum dempserunt civibus suis et errorem addiderunt, castiusque deos sine simulacris veteres observasse Romanos. Hi enim tibi auctores fuerunt, ut haec contra posteriores Romanos dicere auderes." Ergo neque in libro XVI. Divin. illa posita fuerunt, et quod gravius est, duorum diversorum librorum praecepta h. l. ita inter se comparantur, ut alterum priore, alterum posteriore tempore scriptum esse simul doceatur. Saltem Augustinus, nisi talem de his libris sibi conformasset opinionem, non sic scripsisset, ut scripsit. Atque his viam mihi praemunitam video esse ad locum gravissimum tractandum; dicendum est enim jam de fragmento decimo tertio ab Augustino C. D. VII, 28. servato, quo de Samothracum mysteriis verba facit. Haec adhuc relata sunt in librum Divinarum XV., qui fuit de diis incertis; neque id sine ratione factum videtur esse, siquidem Cabirorum sacra pro incertis quam pro certis habere omnes malunt, praesertim quum Varro h. l. se scripturum profiteatur, quae nec suis nota sint; et Augustinus ipse, quum de libro XVI. tractans haec in superiore libro Varronem posuisse dicat, sane librum proxime antecedentem videtur

significare. At vero quid tandem rei hoc est, quod dicit, se scripturum, quae nec suis nota sint? Quinam sunt, quos suos vocat? Romani ne? quos Samothracum mysteria ignorasse satis credimus. Sed cur dicit: nec suis? An fortasse Stoicos intelligi vult, ut magno obsuritatis istis rebus sit testimonio, quod ne Stoicis quidem, curiosissimis reconditarum verum speculatoribus, nota sint? Et quid tandem sibi vult, quod pollicetur Varro, se missurum suis, quae ibi collegerit? Nonne videmus eum quas ejusmodi res in itinere per illas regiones facto memoratu dignas invenerat cum suis communicantem? Atque haec in antiquitatum libris dicta fuisse perhibentur, quos longe alio consilio ad Caesarem pontificem, in ejus gratiam reversus, scripsit, sive jam Romae degens bibliothecis praefectus, sive in Cumano vel Tusculano? Atqui ad Antiquitates ea non pertinere, consilium ipsum docet, quo ab Augustino afferuntur. Ut enim in loco consimili, VII, 5., de quo modo diximus, ita etiam hoc loco sententiam aliquam in Antiquitatum lib. XVI. pronuntiatam (in quo eodem libro Varronem arguit Augustinus parum sibi constitisse, monens, Minervam in medio libro, ubi de feminis tractatur, ad terram relatam esse, „quam supra ipsum coelum ante [h. e. in priore libri XVI. parte cf. c. 16.] posuisset.“) pugnare affirmat cum iis, quae pridem in alio libro docuerat. Removenda igitur haec sunt ex Antiquitatum fragmentis et reponenda in propria sua sede, hoc est in libro de cultu deorum; huic enim libro quin debeantur, comparatis iis, quae ex Curione Probus servavit, vide fr. 12., dubium esse non potest. Quod autem Augustinus, singulari, ut videtur, et ambiguo dicendi genere usus, Varronem in libro de diis selectis perdidisse dixit, quae in superiore libro docuisset, eo confirmatur id, quod jam VII, 5. significari diximus: Curionem aliquot annis ante Antiquitates scriptum esse. Tametsi enim non nego, Curionem h. l. dictum esse posse librum superiorem (ut c. 35. supradictus), propterea quod Augustinus in superioribus libri VII. partibus (cf. c. 9 11. 13. 16.) ejus mentionem fecit, tamen res eodem redit, et altera explicatio rectior videtur esse. Quodsi dubia haec, de quibus agimus, fragmenta ita mecum disposueris, ut fragmenta, quae habentur ap. August. VII, 5.: „Primum eas interpretationes —“ et VII, 6.: „dicit ergo idem Varro —“ Merkel. lib. I. fr. 10. et 7.) principio libri XVI. reddantur; porro quod est ap. August. VII, 28.: „quoniam, ut in primo —“ (Merkel. lib. V. fr. 1.) ad idem libri XVI. proemium referatur; ap. August. VII, 28.: „et certe idem Varro tres —“ in medio lib. XVI. interponatur; ap. August. IV, 31.: „Quid ipse Varro, non confitetur —“ (Merkel. lib. I. fr. 9. et 13.) ad. lib. X. de ludis scenicis; reliqua autem: ap. August. IV, 9. (Merkel. lib. I. fr. 11.), IV, 31: „multa esse vera —“ IV, 31.: „dicit etiam de generationibus —“, VII, 28.: „Hinc etiam Samothracum —“ (nostra fr. 3. 4. 5. 6. 7. 13. et fortasse etiam ap. Aug. VI, 9.: „quale autem illud est —“ vid. infra.) ad alium, ab Antiquitatibus diversum librum rejiciantur: remota jam erit ex Augustini illis locis causa offensionis, et Varronis libris bene consultum erit. Quod Varroni emolumentum parare maluimus, quam subterfugere laborem, ne dicam taedium exscribendi locos, ob auctoris vecordiam haud raro parum ad legendum invitantes.

Sequitur, ut cuinam Varronis libro, quae ex fragmentis illis adhuc dubiae sedis sunt, commodissime ascribantur, investigetur. In qua quaestione illud non praetermitto, ab Augustino praeter libros Antiquitatum et de Gente populi Romani solum Curionem nominari; ut vel hac re ad hunc librum nos mitti facile patiamur. Video etiam Merkelium in iis, quae nos ad lib. X. rejecimus (Merk. lib. I. fr. 9. et 13. cf. p. CXII.), de Curione cogitantem, quamquam is „de cultu deorum“ primo

libro Divin. inscriptum fuisse conjectando et parum se illorum locorum rationem perspexisse ostendit et certissimum Augustini testimonium parum perpendisse. Majoris momenti est, quod Augustinus ipse, ut in fr. 13. Probo auxiliante invenimus, apertius Curionis memoriam excitasse censendus est, dicens IV, 31., Varronem illa (fr. 4.) posuisse loquentem de religionibus. Qua voce si ipsum libri titulum indicare voluisset, profecto non loquentem sed scribentem de religionibus fecisset Varronem; res autem in illo libro enarratas ut religiones apte dici affirmemus, et titulus et fragmenta efficiunt. Augustinus enim, quum fidenter affirmet X, 1., religionem ipsum esse deorum cultum (Cic. N. D. II, 3.), commode eum, qui scribens de cultu deorum, quibus deorum virtutibus ac beneficiis homines ad deos colendos recte compellantur quaerit et quae gentes dignissima de deo opinantes castissima sacra instituerint enumerat (mysteria — Judaeorum deus — Romana antiquitas), de religionibus locutum esse profitetur, quam vocem Trebatius nescio quis inscripsit libris suis aliquoties a Macrobio (Sat. I, 16. p. 281. Bip. III, 3. III, 7.), Gellio VI, 12., Servio Aen. XI, 316., Arnobio VII, 31. excitatis. Quid? quod ipsa vocis „religio" notatio in hoc libro lecta videtur fuisse, siquidem verba ab Augustino IV, 32. prolata (fr. 7.): — „sic et principes — ea quae vana esse noverant religionis nomine populis tanquam vera suadebant, hoc modo eos civili societati velut arctius alligantes (cf. de Vera relig. c. 55. T. I. p. 718. Lactant. IV, 28. Servius Aen. XII, 181. VIII, 349.,) ita comparata sunt, ut is cum sententia Varronis simul religionis ἔτυμον pervertisse videatur. Quamquam enim non compertum est, unde religionem Varro dictam esse statuerit, tamen vix dubitari potest, quin cum Balbo ap. Cic. N. D. II, 28. (cf. Arnob. IV, 30. Gellius IV, 9.) religiosos eos dixerit „qui omnia quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter relegerent" (vid. Dirksen. Versuche z. A. u. K. Abhandl. I.), praesertim quum Augustinus Retract. I, 13. „Latini sermonis auctores" ita hujus nominis originem exposuisse tradat, ut religionem a religendo dictam esse docerent, non a religando; „quod sibi plus placuerit"; quamquam ipse C. D. X, 4. tertiam ejus nominis notationem ab redintegrato amore deductam profert dicens: „deum ergo religentes, amiseramus enim negligentes, unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus." Jam si probabili conjectura pronuntiavimus Varronem in hoc potissimum libro explicasse, religio quid esset et unde dicta esset, nemo facile repugnabit, si etiam alterum illud nobilissimum fragmentum, quo quid discriminis sit inter religiosum et superstitiosum docetur, ex libro de Cultu deorum depromptum esse contenderimus. Verba sunt ap. August. VI, 9. haec: „Quale autem illud est, quod cum religiosum a superstitioso ea distinctione discernat, ut a susperstitioso dicat timeri deos, a religioso autem tantum vereri ut parentes, non ut hostes timeri, atque omnes ita bonos dicat, ut facilius sit eos nocentibus parcere quam laedere quemquam innocentem, tamen — —". Primum intelligimus, haec iterum ita ab Augustino prolata esse, ut Varronem, quamvis ipse veriora sensisset, civilis tamen religionis repugnare erroribus non ausum esse probaretur; neque illud negabis, aptissimum his verbis, rei dignitatem describentibus, locum fuisse post propositam nominis explicationem. Jam ubi expenderis, quam bene haec conveniant cum iis, quae fr. 6. exscripsimus ex August. IV, 31. de simulacris male positis, in his Augustini notationibus duas unius sententiae Varronianae particulas cognosces. Testis ipsa elocutio. Nam quod ibi (fr. 6.) dictum est: quod si adhuc mansisset, castius dii observarentur, id vix latine dictum est; proprie enim observantur homines, dii colun-

tur, et ut colere et observare de hominibus dictum frequentissime componitur, (vid. Cort. Sall. Jug. 10, 8. p. 451.), ita rarissime observari dii dicuntur, ut a Gratio Cyneg. v. 104.: „divom observantior alter." Et ut ita dicantur, siquidem observationes ab Apulejo (de Deo Socr. 14.), Julio Firmico, Arnobio ita ponuntur ut sint ipsa sacra, cultus (vid. Intt. Arnob. I. 44.), tamen ut Cicero de Republica lib. I. c. 12. dixit colere Scipionem ut deum — observare in parentis loco Laelium, ita Varro hoc loco apte dicere potuit „castius dii observarentur", si proxime antecedebant ea, quae ap. Aug. VI, 9. habentur: „a religiso deos vereri ut parentes." Accedit quod ultima verba „eos suis metum dempsisse, et errorem addidisse", si recte „locum concluserunt", in antecedentibus lectas fuisse docent notiones, ad quas referrentur. Eae autem non hoc loco leguntur sed VI, 9.: metum enim dicit religionem, per errorem vult superstitionem intelligi. (Servius Aen. VI, 596.: „nam religiosi sunt, qui per reverentiam timent." Cicero N. D. II, 28.: „quae res genuit falsas opiniones erroresque turbulentos et superstitiones paene aniles"; coll. Serv. Aen. VIII, 187.: „ab aniculis dicta superstitio, quia multam superstites per aetatem delirant et stultae sunt"; ita enim corrigendum est pro multae: Mythogr. III, 5, 2.: „anicularum — teste Servio — per nimiam aetatem delirarum"). Quid? quod in ea opinione sum, ut Varronem dicentem „addidisse errorem", quam vocem Augustinus, callidissimus ubique ementitae Varronis fallaciae investigator, in suum usum male detorquet, ipsum nomen superstitionis significasse putem. Nescimus quidem, quae ejus nominis explicatio (vid. praeter Balbum ap. Cic. l. d. Lactant. IV, 28. Servium loco supra laudato et Aen. VI, 596. Nonium p. 432.) Varroni placuerit, tamen praeter Nonium omnes in eo consentire video, ut religiosos patrium morem colendi deos servare dicant, superstitiosos nova, majorum usu non sancita sacra arcessere (Servius Georg. I, 269.: „Religiosi enim esse dicuntur, qui faciendarum — rerum divinarum secundum morem civitatis delectum habent, nec se superstitionibus implicant." Lactant. l. d. „nam qui novos sibi ritus adsumebant — hos superstitiosos vocabant"). Ut facile intelligatur, quam apte in conclusione ejus loci dicatur error, simulacris positis, additus esse (in qua voce ut saepissime alias ita hoc loco non augendi sed dandi vim esse non est quod moneam; vid. Heins. Sil. It. III, 330. Cortius Sall. Cat. 54, 2.), si in iis, quae proxime antecesserunt, dictum erat superstitioni aditum paratum esse eo, quod dii supra quam instituta tum sacra tulissent ut homines fingi et ut hostes timeri coepti essent. Quae quum ita sint, ego quidem persuasum habeo, ea, quae ex August. VI. 9. exscripsimus, cum illis, quae sexto loco posuimus, una sententiarum compage juncta a Varrone pronuntiata fuisse; quae tamen, quum ab Augustino inducantur non addito solito illo „alibi" aut „alio loco", in fragmentorum seriem recipere nolui, ut magis cautum me quam temerarium praeberem. Atque satis dictum de religionibus, quo aptissimo nomine Augustinus librum de Cultu deorum pristinam illorum fragmentorum sedem fuisse haud ambigua significatione indicasse censendus est.

Restat ut demonstretur, qua sententiarum cognatione dubia haec fragmenta cum reliquis conjuncta sint, ut ex eodem libro omnia repetita esse recte dicantur. In qua re, ut in aperta, brevis sum. Et primum quidem Valerii Sorani illo versu quasi duce invenimus Judaeorum sacra laudata fuisse in libro de Cultu deorum (fr. 2. 3.). Quam opinionem eo commendatam video esse, quod deus Judaeorum iterum castioris cultus exemplum exhibetur fr, 6. Quin etiam quaerentes, quemnam

potissimum locum Augustinus IV, 9. (fr. 3.) exscripserit, triplici veluti via ad Curionem ducimur: habes enim ibi et deum Judaeorum et versus Valeriani significationem et ultima fragmenti sexti verba repetita. Jam fragmento sexto et quae praecipiuntur et quae narrantur vix dici potest, a quot scriptoribus usurpentur. Praeceptum autem illud Zenonis est, qui in libro de Republica scripto *ἀπαγορεύει καὶ ναοὺς οἰκοδομεῖν καὶ ἀγάλματα τεκταίνειν*, teste Theodoreto in Cur. aff. Graec. T. IV. p. 780. ed Noesselt., *μηδὲν γὰρ εἶναι ἄξιον τῶν θεῶν κατασκεύασμα* — vid. Clemens Strom. V. p. 584. cl. Origene c. Cels. Lib I. T. II. p. 637. ed. lat. Bas. 1571., cujus doctrinam Varronem, in theologicis ubique Stoicorum vestigia legentem, non miramur adhibuisse in hoc libro, qui philosophice maximam partem scriptus videtur fuisse. Is enim quum in pluribus libris proderet, quid de simulacris sentiret, id profecto pro cujusque libri instituto alias alia ratione fecisse censendus est. Et ea quidem, quae ex Arnobio exscripta undecimo loco posuimus, certissimum est, non in Antiquitatibus scripta fuisse. Quid? ultima illa verba „nec ulla — gratia", nisi ea proxime accedere intellexissem ad Zenonis dictum a Clemente l. d. servatum: *ἱερὸν γὰρ μὴ πολλοῦ ἄξιον καὶ ἅγιον χρὴ νομίζειν*, ne Varroniana quidem esse arbitrarer. Atque hanc rationem secutus, ea fragmenta, in quibus vix excusatur simulacrorum cultus, in hunc librum arcessenda esse putavi, ut fr. 9. et 10. Praeterea autem ex hoc loco videntur hausisse Augustinus ipse XVIII, 24. Tertullianus de Id. c. 3. Ambros. c. Symmachum p. 476. ed. Par. Frank. 1651. Videndus etiam Cyrillus c. Jul. T. III. p. 133. ed. lat. Bas. 1546., qui tamen Dionysium testem facit eorum, quae Plutarchus (fr. 8.) scripsit, et Eusebius Pr. Ev. IX, 6. excitatus a Franckenio l. d. p. 12. Solent patres ecclesiastici rationes, quibus gentilium errores impugnant, ex ipsis veterum philosophorum litteris mutuari, unde conjectamus iis, quae contra simulacrorum superstitiones ab illis proferuntur, immixta esse cum aliorum tum Varronis praecepta philosopha. Itaque Arnobius, — talia enim facile opinamur, si quae in hac causa Varro aptissime scribere potuerit cogitando assequi studemus — ut VII, 1. fecit, ita etiam III, 16. Varroniano fortasse utitur argumento, dicens: „si aselluli, canes, porci humanum aliquid saperent — iidemque nos vellent cultu aliquo prosequi et statuarum consecrationibus honorare, — quantas nobis irarum flammas concitarent, si suorum corporum formas nostra vellent portare atque obtinere simulacra."*) Qua argumentatione (non facetias dico Arnobianas, quibus ille sic gaudet, ut

*) Memorabilis est hic Arnobii locus etiam propterea, quod qua ratione simulacrorum usum veteres philosophi defendere solebant, eam Arnobius sic reddit: „nisi forte dicetis alias quidem inesse diis formas, et (at Rigalt.) honoris et dotis causa species vos eis accomodavisse mortalium." In quo loco miror viris doctis placuisse Lipsii conjecturam scribentis pro „dotis causa", ut est in codice, „dicis causa", quod alienum est a loci sententia atque inane. Equidem, quum deorum simulacra artificum inventa esse a multis doceatur, ut a Varrone ap. Clem., Cicerone N. D. I. 27., a Tertulliano ll. ll., ab Athenagora Leg. p. 128. sq. et Rechenb. Lips. 1648., memor alibi in codd. commutatam esse artem et dotem (v. Forcellin. v. dos), etiam h. l. artem simulacrorum fingendorum causam putabam nominari, praesertim quum statim subsequantur: „si aselluli — fingendi haberent artes." Sed ita neque sententia est perfecta, et ante omnia videndum est, si forte codicis scriptura probari possit: scilicet ne egregii libri ms. auctoritatem jactantes dicis causa id fecisse videamur. Jam quid sententia requirat, apertissimum est ex verbis sequentibus his: „— iidem si nos vellent cultu aliquo prosequi et — honorare"; ut Arnobius hoc dixisse putandus sit: et honoris et reliqui cultus causa homines diis mortalium species accommodavisse. Hanc autem alteram cultus partem Arnobius ubique ita descripsit, ut dandi nominibus uteretur. Ita III. 24. „Nisi enim tura et salsas accipiant fruges, bene-

easdem iterum ponat VII, 17.), usurpata etiam Cottae ad Vellejum repellendum (Cic. N. D. I, 27.) probante Balbo Stoico (II, 27), Varro vix abstinuit, praesertim quum ea Xenophanem Colophonium habeat auctorem, in cujus libris Varronem assiduum fuisse compertum est (vide de phil. Var. p. 8.). — In Saturis, quamquam utilissimi ejus studii, ut revocanda pristina pietate aequalium mores depravatos emendaret, nobilia quaedam proposuit documenta, velut dicens p. 281. Bip.: „Ergo tum sacrae, religiosae, castae fuerunt res omnes“ et in Manio p. 287.: „Quocirca oportet bonum civem legibus parere et deos colere, in patellam dare *μικρὸν κρέας*“; (Cui haec legenti non in mentem venit versus illius Tibulli: „Dona nec e puris spernite fictilibus“, cui Scaliger nostra apposuit, et Persii: „Quin damus id superis — Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus Mentis, et incoctum generoso pectus honesto? Haec cedo ut admoveam templis, et farre litabo“) et p. 312. „Haec Numa Pompilius fieri si viderit, sciet suorum instituorum nec volam nec vestigium apparere“, et p. 308. „— in quarum locum subierunt inquilinae impietas, perfidia, impudicitia, impudentia“ (vid. Oehler. p. 81.), — tamen in his, pro ejus carminis licentia, a deorum in humanam humilitatem detractorum irrisione acri non abstinuit, cujus rei lepidissimum exemplum exstat p. 272.: „Non vides ipsos deos, si quando volunt gustare vinum, derepere ad hominum fana?“ — At vero in iis libris, quos prae ceteris communi usui destinasset, aliam rationem secutus est. Nam in libro I. de Vita populi Rom., ubi monstrasse eum et commendasse vetustissimi cultus castimoniam docent fragmenta ap. Non. vv. paupertas et paupertinum p. 162.: „Quid inter hos Joves intersit et eos, qui ex marmore, ebore, auro nunc fiunt, potes animo advertere, et horum temporum divitias et illorum paupertates“; et „ut in cetero cultu quae sunt consentanea, quod sunt paupertina, sine elegantia et cum castimonia,“ luxuriam simulacrorum vituperavit non simulacra ipsa. Et in Antiquitt. div. XVI. ipsam celeberrimam proposuit simulacrorum interpretationem eam, ut antiquos diceret (August. C. D. VII, 5.) simulacra deorum et insignia ornatusque confinxisse, quae quum oculis animadvertissent hi, qui adissent doctrinae mysteria, possent animam mundi ac partes ejus, id est deos veros, animadvertere; quorum qui simulacra specie hominis fecerunt, hoc videri secutos, quod mortalium animus, qui est in corpore humano, simillimus est immortalis animi (Maximus Tyr. Diss. 8, 3.: *καὶ οὐκ ἄλογος ἡ ἀξίωσις τῶν τά ἀγάλματα εἰς ἀνθρωπίνην ὁμοιότητα καταστησαμένων· εἰ γὰρ ἀνθρώπου ψυχὴ ἐγγύτατον θεῷ καὶ ἐμφερέστατον*), tamquam si vasa ponerentur causa notandorum deorum; — qui locus — cum altero infra tractando, mundum esse deum — omnium longe est gravissimus. Nam

---

facere dii nequeunt.“ VI, 3. „Numquid alias res damus — Etiam plena dementia est — quae tibi sunt usui datoribus diis dare (Virg. G. II, 194. „exta reddimus.“ ib. Voss.), et honorem istum — ducere.“ VI, 8. „dis munia officiosa praestari.“ VII, 6. „quando ergo conveniat haec munia vel in tempore quo dari?“ Et VII, 13., qui locus omnino adhibendus fuit ad nostrum explicandum, easdem apertius proponit cultus divini partes dicens: „Satis — ostendimus, frustra diis immortalibus hostias rebus cum consequentibus admoveri —. Sequitur ut illam quoque inspiciamus partem —. Ajunt enim sacra haec honorandis esse instituta coelestibus.“ Vides igitur, „honoris et dotis causa“ non dicis causa haec esse instituta. Bene autem munerum diis debitorum varietatem significat nomine dotis vi collectiva posito, ut haec sit sententia: simulacra posuerunt, ne dii aut honore aut dote sua privarentur. Praeterea Arnobium dotem non cultum nominando ipsum sacerdotis munus indigitasse, vel me tacente nemo non intelliget, Sacerdos enim habebatur sacrorum dator; vid. Doederl. Synon. T. VI. p. 312.

hac via praecepta illa, quae reliqui philosophi, in quibus etiam Balbus est ap. Ciceronem de N. D. II, 17.: „Restat ut — cogitare“, tanquam quaedam „mysteria doctrinae“ sibi „ut peritioribus“ servarunt, Varrone interprete, ita in vulgus edita sunt, ut scribendo dicendoque repetita antiquae religionis firmissima quasi propugnacula fierent (vide de Causs. corr. rel. p. 49 sq.). Hinc factum est, ut in hanc doctrinam scriptores ecclesiastici veterem religionem impugnantes vehementissime inveherentur. Ex quibus, ut Arnobium VI, 9. Lactant. II. 6. in. omittam, Augustinum nomino, quippe cujus libri fundus horum studiorum esse debeant, Varronianam illam doctrinam saepissime perstringentem ut de Doctr. christ. III, 7.: „Et si quando aliqui eorum (gentilinm) illa (simulacra) tanquam signa interpretari conabantur, ad creaturam (elementa) colendam venerandamque referebant. Quid enim mihi prodest simulacrum verbi gratia Neptuni non ipsum habendum deum, sed eo significari universum mare“ — Ep. XLIX. T. II. p. 199. Bas. 1543. „Nec illinc excusant impii sua sacrilega sacra et simulacra, quod eleganter interpretantur, quid quaeque significent“. Enarrat. Psalmi XCVI. T. VIII. p. 1086. „Sed existit nescio quis disputator, qui doctus sibi videbatur, et ait, non ego illum lapidem colo, nec illud simulacrum, quod est sine sensu — sed adoro quod video et servio ei quem non video. Quis est iste? Numen quoddam invisibile, quod praesidet illi simulacro.“ Enarrat. Psalmi CXIII. q. 1306., qui locus instar fragmenti Varroniani habendus est: „Videntur autem sibi purgatioris esse religionis qui dicunt, nec simulacrum nec daemonium colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo. Ita vero interpretantur simulacra, ut alio dicant significari terram, unde templum solent appellare Telluris, alio mare sicut Neptuni simulacro, alio aerem sicut Junonis, alio ignem sicut Vulcani, alio Luciferum sicut Veneris, alio solem, alio lunam, quorum simulacris eadem nomina sicut tellursis imponunt. De quibus rursus, cum exagitari coeperint, quod corpora colant, maximeque terram et mare et aerem et ignem — respondere audent, non se ipsa corpora colere, sed quae illis regendis praesident numina“. Apud Graecos patres rara Varronis memoria est; sed non ignotum eum fuisse Alexandriae docet Clementis exemplum. Et Athanasius quidem ita contra gentiles disputat, tum poetarum fabulas ridens, tum philosophorum praecepta refutans, ut quam late istius doctrinae decreta propagata fuerint vel ex ejus libris demonstrari possit. Is igitur philosophos atque eruditos tradit simulacra ideo dixisse conficta esse, ut per ea dii responderent — alios autem, qui sapientiora et altiora (ex „doctrinae mysteriis“) se dicere arbitrarentur, eam rationem attulisse, ut per ea coelestes invocarentur et apparerent angeli atque virtutes, sicque apparentes veram illis dei insinuarent notionem. Esse enim ea hominibus velut litteras, quae relegentes possent dei intelligentiam consequi. cf. fol. 262. vers. ed. lat. Paris. 1518. cl. Max. Tyr. diss. 8, 2. vid. Tertull. adv. Marc. I, 13. —

Quod ultimo loco posuimus vaticinium si quis occurrat dicens non esse hujus libri, ei quid respondeam nihil habeo praeter hoc, commode hydromantiae illud exemplum ei ascriptum videri libro, in quo Varronem de mirabilibus illis Numae artibus commentatum esse Augustino teste certum sit. Cui si quis subjunxerit alterum magicae artis exemplum ab Apulejo l. d. ex Varrone allatum: „Itemque Fabium, quum quingentos denarium perdidisset, ad Nigidium consultum venisse, ab eo pueros carmine instinctos indicavisse ubi locorum defossa esset crumena cum parti eorum, ceteri ut forent distributi; unum etiam denarium ex eo numero habere Catonem philosophum, quem se a pedissequo

in stipe Apollinis accepisse Cato confessus est," ego non repugnabo, quamquam illud divinandi genus quale fuerit, ex Varronis quidem partitione non liquet. Varronem autem, ut Stoica quin etiam Pythagorea doctrina imbutum, cum aliis ejus aetatis hominibus, in quibus Nigidius Figulus fuit reconditarum litterarum praestantissimus auctor, harum rerum curiosissimum fuisse non est dissimulandum; de qua re perutilia docuit M. Hertz de Nigidii Figuli stud. p. 23. sq.

Non sum nescius alia quaedam exstare fragmenta, quae haud absurde hujus libri reliquiis adnumerari queant; inquibus est quod Augustinus C. D. VII, 13. ponit de diis selectis loquens: „et quum alio loco genium dicit esse uniuscujusque animum rationalem, et ideo esse singulos singulorum," quae tamen cum iis, quae lib. I. Div. tradita fuerunt, bene conveniunt; et Lactant. I, 21.: „Apparet tamen, antiquum esse hunc immolandorum hominum ritum, siquidem Saturnus in Latio eodem genere sacrificii cultus est — quod ex responso quodam factitatum Varro auctor est" — cf. Macrob. I, 7, quae praeter hunc librum non minus in Rebus humanis (vid. Ritschel. Discip. p. 48.) quam in XVI. Div. (cf. August. C. D. VII, 19.) locum habere potuerunt. Nec praetereo, quod haec perscrutanti vel ultro occurrit, eam doctrinam, qua deos homines fuisse affirmarunt quidam, Varronem scribentem de Cultu deorum vix videri seposuisse; atque disputationis de ea re institutae frustillum esse possit, quod August. de Cons. Ev. I, 23. p. 383. sq. affert: „Numquid et Varro vel tanquam poeta fingit vel tanquam Academicus dubie ponit, quod dicit talium deorum sacra ex cujusque eorum vita vel morte, qua inter homines vixerunt vel obierunt, esse composita". Tales autem quos dicit deos ii sunt, qui per consecrationem ex hominibus facti sunt (vid. Merkel l. d. p. CLXXXIX.), quos Varro Heroas, Lares, Genios vocari dixit, aeriasque animas esse affirmavit. In horum deorum naturam omnes omnino deos detrahere patres ecclesiasici student, ex quibus ipse Augustinus C. D. VIII, 5. iterum ejus doctrinae mentionem facit, Numae libros a Varrone in libro de Cultu deorum tractatos in auxilium vocans, ut sane probabilia videatur dixisse, qui etiam illa ex eodem libro repetita esse affirmaverit. Verumtamen quum certissimum sit, id quod his ipsis Augustini locis confirmatur, Varronem toto genere disjunxisse illos factititios deos a reliquis, quos aeternos eosdemque aethereos vocat, mihi quidem persuasissimum est Augustinum illa legisse in eo Divinarum libro, quo illae deorum species enumerabantur, eumque librum fuisse lib. XV., qui fuit de diis incertis, pridem conjectavi (vid. in Discip. libb. ab Ersch. et Gruber. compositis v. Penates p. 412.), nec nunc ejus conjecturae poenitet. Neque tamen celabo, aliam quoque suspicionem animum meum subisse. Ab omnibus fere scriptoribus ecclesiasticis, qui deos veterum homines fuisse evincere student, commemoratam video in hunc finem Alexandri Magni epistolam ad matrem Olympiadem scriptam (vid. Cyprian. p. 174 Minuc. Fel. Oct. p. 22. ed Ouz., Athenagoras Legat. p. 248. Tertull, de Pallio c. 3. August. ll. ll. et C. D. XII, 10., quam epistolam Rigaltius in Tertull l. l. Alexandri Polyhistoris librum esse putat: Robertus Geier autem steteritne promissis in Alex. M. hist. script. proleg. p. XXVI. datis, ignoro). Nonne igitur Varro ejusdem rei mentionem fecisse putandus est in libro, cui Orestes vel de insania inscriptum fuit? Alium enim in finem, quam ut Alexandri deum se jactantis furorem castigaret, vix ibi referre potuit ea, quae ex Gellio N. A. XIII, 4. innotuerunt.

Nec illud taceo, videri Varronem in libro de Cultu deorum etiam eam tuitum esse opinionem, qua Romani imperii sui vigorem beneficium esse deorum, hoc quasi praemio fidem (cf. Gellius N. A.

XX, 1 p. 671. Long.) religiositatemque remunerantium, persuasum habebant. Satis est, quum de Varrone disputetur, Balbi admonuisse, affirmantis ap. Cic. N. D. II, 3. eorum imperiis rempublicam amplificatam esse, qui religionibus paruissent, religione enim, id est cultu, res Romanas exteris multo superiores esse, cui Cotta assentitur III, 2, addens Romanam civitatem nunquam sine summa deorum immortalium placatione tantam esse potuisse. Quam sententiam declamatorie exornatam repetit auctor orationis de Harusp. resp. c. 9. excitatus ille cum aliis ab Havercampio in Tertull. Ap. c. 25. Religiositatis autem testimonium etiam hoc a quibusdam esse perhibetur, quod Romani „deos gentium, quas subjugabant, colendos propitiare et eorum sacra suscipere solebant;“ quae sunt verba Augustini de Cons. Ev. I, 12. p. 378. posita (cf. p. 380. 382. C. D. III, 12.: „Nimis multos deos grandi fumo suo tanquam signo dato ad tuitionem congregaverat Roma;“ Cincius ap. Arnob. III, 38. col. VI, 7.: „Roma numinum cunctorum cultrix,“ et ut alios omittam ab interpretibus ad Minuc. Fel. p. 6. 7. laudatos, Josephus contra Ap. T. II. p. 809. ed. lat. Bas. 1540. magnanimitatem Romanorum laudans, quoniam subjectos populos non coegissent patria jura transcendere). Quam religiositatis laudem patres ecclesiastici tantum abfuit ut Romanis concederent, non illorum diis juvantibus, sed alio veri dei consilio magnam factam esse Romam contendentes (vid. August. C. D. IV, 28. V, 1., Ambros. in epist. supra laudata p. 474., Tertull. ad Natt. I, 10. alii multi), ut vix civili virtuti tribuendam esse censerent, quod pietati denegarunt. In qua re est quod Augustini, multis locis, velut C. D. V, 12. sq., Romanorum ingenium virtutesque examinantis, verba lectu digna ex Epist. V. T. II. p. 25. referam haec: — „rempublicam primi Romani constituerunt auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga deum verum, quae illos etiam in aeternam civitatem posset salubri religione perducere, custodientes tamen quandam sui generis probitatem, quae posset terrenae civitati constituendae, augendae, conservandae sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo et praeclaro imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine vera religione virtutes“; — (O priscae virtutis laudanda constantia! Firmic. Mat. de Err. prof. rel. p. 11.), quamquam civilem hanc virtutem quanti fecerit acerrimus ubique antiquarum religionum expugnator, et damnator atrox, intelligitur ex iis, quae contra Julianum Pelag. Lib. IV. T. VII. p. 1034. disputat; audi enim haec: „An forte et istis, qui exhibuerunt terrenae patriae Babylonicam dilectionem et virtuti civili, non vera sed verisimili, daemonibus vel humanae gloriae servierunt, Fabriciis videlicet et Regulis et Fabiis et Scipionibus et Camillis ceterisque talibus, — provisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumque coelorum, ubi non sint in miseria sed in beatidudine sempiterna?“ — Non opinor perditionem vestram usque ad istam posse impudentiam prosilire“! — Cf. p. 1029. C. D. V, 15. — Hanc igitur sententiam gravissimam, qua imbuti sapientissimi quique Romani edixerunt, sanctissimo castissimoque cultu oportere cives Romanos prosequi patrios suos deos, ut qui magnitudinis imperii benevoli essent auctores, in quam ut in primarium quoddam Romanae doctrinae praeceptum acerbe invehuntur illi scriptores, et per se probabile est non praetermissam fuisse in Varronis hoc libro et ex Augustini notationibus colligitur. Is enim quum dicat C. D. III, 9. (fr. 14.) Varronem prodidisse in libro de Cultu deorum, quibus artibus Numa tales deos sibi vel civitati consociare potuerit, et III, 11.: „Hinc fortassis et Numa Pompilius — cum cogitaret otiosus (referri autem debent haec ad ea, quae III, 9. dicta sunt),

quibusnam diis tuendam Romanam salutem regnumque committeret", — aperte docet, Varronem Numae religiones ad illud praeceptum exegisse. — At vero novos et peregrinos deos Romam asclsci, id Varro nunquam religiositatis sed superstitionis esse judicavit; quod Varronis judicium Dionys. Halic. Antiquitt. Rom. II, 19. p. 275. Reisk. suum fecit. Igitur verba, quae sunt ap. Servium Aen. VIII, 698: „Varro dedignatur Alexandrinos deos Romae coli," quae spectare ad Lucanum Phars. VIII, 831. Rutgersius docuit V. L. II, 18. p. 134., et ante oculos habuisse Graecum quendam scriptorem ap. Suidam v. Ἐγκατέσκηψαν ipsi annotavimus in Varronis Antiq. hum. p. 5.; Zonaram p. 606. conferri jubet Oehlerus in Varronis Sat. Men. p. 83.—haec verba, inquam, si quis in Curione lecta fuisse contenderit, probabile aliquid dixisse censendus erit, praesertim ratione habita temporis, quo haec aptissime a Varrone dici potuerint. Nam si mecum statuis scriptum esse Curionem tempore belli piratici et Mithridatici, h. e. intra annos 687 — 693., Aegyptiaca sacra Romam jam diu illata et tum in dies latius diffusa, usquedum Gabinio cos. a. 696. *) expellerentur, ut optimi cujusque civis Romani ita Varronis animum movere debebant, ut scribens de deorum cultu istam perversitatem ut Romano nomine indignam castigaret; vid. Merkel l. l. p. CXI.

Atque satis dictum de hoc genere fragmentorum, quae tametsi secundum probabilitatis quandam speciem facile huic vel illi libro ascribantur, tamen vix unquam ita digeri poterunt, ut omni dubitatione exempta esse videantur, quippe quae propriae suae sedis omni careant significatione. Neque vero ejusmodi quaestiones inutiles habendae sunt; immo necessariae videntur esse ad Varronis philosophandi et scribendi genus accuratius cognoscendum. Operae igitur pretium fecisse mihi videor periclitando, num incerta illa fragmenta, imprimis quae apud Augustinum habentur, ad aliquam normam exigi queant, „simodo consecutus sum." Neque enim dissimulandum in has res inquirentibus incedendum esse via omnibus nominibus impedita, ut studia nostra Varroniana vix incunabula sua excessisse facile intelligatur. Quod ita esse omnes, vel lustrato memorabili illo indice operum Varronis ab Hieronymo confecto et ab Ritschelio nuper, hac sumpta scribendi occasione ingeniose de Varronis πολυγραφίᾳ commentante in Museo Rhen. a. 1848. publici juris facto, mecum consentient. Expensis igitur diligenter argumentis, quae protulimus tum certissimis tum iis, quae dubitationi obnoxia esse ipse non ignoro, illud meo jure videor pronuntiasse: librum

*) Potest ex eodem libro repetitum esse, quod in eadem causa tradit Tertull. ad Natt. I, 10. p. 300. Oehl. „Ceterum Serapem et Isidem et Arpocraten et Anubem prohibitos Capitolio Varro commemorat, eorumque aras a senatu dejectas non nisi per vim popularium restuctas." Quae sequntur: „Sed tamen Gabinius consul" — non pro Varronianis afferuntur; sed dejectae sunt arae istae jussu senatus jam Aemilio Paulio consule a. 535. vid. Reimarus in Dion. lib. XL. T. V. p. 270. ed Sturz.; ut nec Tertulliani hoc loco temporum nostrae rationes turbentur; ad annum 711. quidem, quo haec sacra non per vim popularium (ἐγκατέσκηψαν) sed jussu triumvirorum publice recepta sunt, haec referri non debent. Vid. Fea in Winckelm. Hist. ar. T. II. A. 399. laudatus a Prellero in libro de Regionibus urbis Romae scripto p. 123. — Ceterum non possum quin eorum, qui in has res inquirere velint, consulam otio, insignem notando levitatem, qua recentes quosdam viros doctos in commentariis componendis priorum editorum diligentia video abuti. Orellius enim, quum ab Havercampio in Tert. Ap. c. 6. excitatum esse animadvertisset Augustin. II, 14., Romanum libri numerum Arabicum esse opinatus in suas schedas transtulit (Arnob. II, 73): August. XI, 14., quod vitium nec Hildebrandus correxit et Oehlerus in Tertull. Ap. c. 6. p. 37 fideliter suum fecit; Quid? Lucani illos versus VIII, 831. sq. hi viri, typographico errore in Havercampii editione obvio decepti, ut VII, 83. exhibent omnes tres.

de Cultu deorum scriptum esse ante Antiquitates, hoc est intra annos 687—93, quibus annis Varro legatus Pompeji in Graecia et Asia militabat; aut aliquot annis post, fortasse a. 700., quo anno obiit C. Scribonius Curio pontifex max., ansam praebente ad scribendum sacrorum peregrinorum in itinere cognitorum et ad Romani cultus comparationem invitantium novitate. Ejus opinionis adminiculo sunt praeter verba Augustini (fr. 13.), de quibus p. 8. egimus, Samothracum mysteria et deus Judaeorum; fortasse etiam puer ille Trallianus et sacra Aegyptiaca memorata. Deinde hunc librum magnam partem philosophi argumenti fuisse arbitror, non tam civibus quam amicis scriptum, ut id discriminis inter Curionem et Antiquitates intercessisse videatur, ut in Curione philosophus religionum rationes („doctrinae mysteria") θεωρητικῶς panderet, in Antiquitatibus, πρακτικῶς scriptis, doceret, quae antiquitus instituta essent quaeque etiamnunc optimo publico fieri deberent, additis videlicet sacrorum aut dubiorum aut spretorum causis ex sanctissima Stoicorum doctrina repetitis. Hinc factum est, ut Augustinus, quum suo instituto aptius esse intelligeret distrahi potius quam consociari quae sententiae Varronianae inter se pugnare viderentur, gravissimis aliquot particulis ex Curione arcessitis ad sententias in Antiquitatibus propositas abuteretur refellendas: huc praeter cetera faciunt quae in utroque opere de mundo et de simulacris disputantur. A philosopho autem scribendi genere minime abhorret immixta rerum gestarum et institutorum commemoratio; librorum Logistoricorum praesertim naturam — quamquam pro magna rerum in illis libris tractatarum varietate stilum quoque variasse conjectamus omnes — Ritschelius l. l. p. 513. rectissime ita videtur descripsisse, ut ex philosopho et historico argumento aptati fuerint; ejus quoque naturae fragmenta nostra luculenta quaedam praebent exempla, veluti quae de Numae libris narrantur.—De Curione, cujus nomine Varro hunc librum insignem esse voluit, proba est Ritschelii conjectura, vide de Logist. p. XI., praesertim si scriptum esse hunc librum statuis a. 700. qui annus C. Scribonio fatalis fuit, ut pronus fuerit Varro ad memoriam optimi viri hac quasi laudatione servandam. Sed hoc quis affirmaverit? Inscriptam autem fuisse libris Logistoricis etiam viventium etiamtum virorum nomina Ritschelius docuit. Atque his ita disputatis unum habeo quod addam: quam proposui opinionem scribens de Varronis philosophia p. 12. hanc: videri libros Logistoricos eas ipsas scriptiones esse, quas Cicero Acad. I, 2. Laudationum nomine in libris a Varrone philosophice scriptis referat (quam sententiam aliqua ex parte confirmatam esse sentio iis, quae scienter Ritschelius l. l. p. 552. n. 4. disputat; quamquam is longe aliter judicat de laudationibus p. 493 sq. et p. 514.), ejus sententiae ne nunc quidem me poenitet. Nam quum ex Hieronymi illo indice intellexissem, Varronem septuaginta sex scripsisse libros Logistoricos, illud certissimum visum est, eam molem librorum a Cicerone in illo loco non potuisse silentio praetermitti; quid? quod vix alii libri in magno illo titulorum ab Hieronymo collectorum numero reperiantur, qui pariter atque hi juxta praestantissima Antiquitatum et Satyrarum opera a Cicerone laudari mereantur. Deinde non magis mirum est, Ciceronem libros Logistoricos omisisse, quam Hieronymum Laudationes, siquidem hae tanti aestimabantur, ut solae a Cicerone — ut mea quidem opinio fert — una cum Antiquitatibus et Saturis nominarentur. Quid igitur? Nonne utrique satisfactum erit, si Hieronymum sumpserimus Logistoricorum nomine Laudationes, Ciceronem Laudationum nomine Logistoricos significasse? Neque ego quidem, quid huic opinioni obstet, intelligo. Logistorici enim, quamquam non nomine vulgato, sed re laudationes

erant, praesertim si illi libri — cui sententiae et tituli superstites et fragmenta favent — maximam partem ita scripti erant, ut non viri soli, quorum nomina iis inscripta fuerint, sed etiam ipsae virtutes, quibus hi viri florebant, commendabantur laudabanturque. Sic igitur statuo: singuli libri laudationum nomine circumferebantur, universum opus — collectum et compositum, ut suspicor, a Varrone sene, post Ciceronis obitum — *Λογιστορικῶν* nomine, scribendi illud genus ex philosopho et historico mixtum, quod omnibus commune erat, hac voce denotans, insignivit. Omnes enim simul editos esse vix credibile est, vid. Ritschelius l. l. p. 502. Atque quamquam nova multa in librorum Varronianorum titulis deprehendimus, illud tamen prorsus singulare factum fuisset, si singulorum librorum inscriptionibus additum fuisset: liber Logistoricus, veluti: Curio de cultu deorum: Liber Logistoricus! Aptius profecto haec sic ponerentur: *Λογιστορικῶν* Liber I. Curio de cultu deorum; sed hoc probare non potest, nisi qui omnes Logistoricos uno velut partu editos esse persuasum habeat. Neque vero in saturis idem factum puto, quamquam harum scriptionum alia ratio fuit, sed universo operi „Saturae Menippeae,“ sive, ut ego quidem arbitror, „Satura Menippea“ inscriptum fuisse. Denique illud adjicio, temporum rationes non tam impedimento quam firmamento esse nostrae sententiae. Nam, ut Bernhardyus in Litt. Rom. p. 630. monuit, librorum illa genera a Cicerone secundum temporum, quibus scripta sunt, ordinem proferuntur; ex quo intelligitur, illos libros, quos Cicero laudationes vocat, ante Antiquitates scriptos esse. Idem cadit in Logistoricos, quorum multi, in quibus est, ut vidimus, Curio, ante annum 700. vel paulo post scripti videntur esse. Vid. Ritschel. Log. p. XII.

II. Annotata.

Μόνος ἱερεὺς ὁ σόφος, μόνος θεοφιλής, μόνος εἰδὼς εὔξασθαι, — haec sententia fuit quum ceterorum philosophorum „philosophia homines ad cultum deorum erudiri“ agnoscentium tum Stoicorum, ut sanctissimae doctrinae cultorum (vid. Casaub. in Pers. Sat. II. proleg.): quippe „sanctitas est scientia colendorum deorum.“ Quod quo spectet, exemplo docemur Varronis Antiquitatum divinarum libros, ad Caesarem pontificem maximum missos, ita Stoicae philosophiae praeceptis exornantis, ut, singulorum deorum et natura et virtutibus religiose explicatis, civium — maxime sacerdotum (cf. August. C. D. VI, 5. p. 147. A.) usui essent accommodatissimi. Interpretationum autem physicarum in Antiquitatibus explicatarum Varro quasi fundamenta posuit in Curione, item ad pontificem Scribonium scripto, ut in hoc libro magis philosophum, pontificem magis in Antiquitatibus egisse videatur, in utroque autem utrumque. Quod Varronis studium res „concordi discordia“ disjunctas consociandi, quantumvis fecerit ad religiones veteres sustentandas, nec philosophorum nec theologorum plausum tulit, illis philosophiae, his theologiae parum satisfactum esse judicantibus. Et Augustinus quidem, haudquaquam aequum de Varrone theologo judicium faciens, sed tamen talia proferens, ex quibus, quale Varronis philosophandi genus fuerit, bene intelligi queat, illam Stoicae philosophiae partem naturalem (cujus laudem Cicero Acad. II, 127. praeclarisissimis verbis scripsit his: „est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum consideratio contemplatioque naturae; erigimur, elatiores fieri videmur, humana despicimus, cogitantes supera atque coelestia haec nostra ut exigua et minima contemnimus; indagatio ipsa rerum tum maximarum tum etiam

occultissimarum habet oblectationem; si vero aliquid occurret, quod verisimile videatur, humanissima completur animus voluptate.") summo amore amplexum esse non dissimulat quum alias tum C. D. VI, 5.: „Quis non videat, inquit, cui (theologiae) palmam dederit? Utique secundae, quam supra dixit esse philosophorum. Hanc enim pertinere testatur ad mundum, quo isti nihil esse excellentius opinantur in rebus", cl. VII, 23., quem locum supra p. 5. excripsimus. Deinde eum Stoicorum physica ita adhibuisse ad res divinas explicandas, ut obscura interpretaretur, dubia confirmaret, denique turpia honestaret, non Augustinus solus docet, sed multi alii patres ecclesiastici, Varronem ipsum aut eos qui eum sequuntur in medium proferentes, consentiunt. Vid. August. C. D. VII, 29. 33, alias; de Cons. Ev. I, 25. T. IV. p. 386., in quo loco pro „interpretentur etiam Priapum foeditatis deum" scribendum est „foecunditatis deum," quod sententia desiderat; et contra Faustum Manich. XX, 9. T. VI. p. 365., qui locus propter exemplorum, quibus docetur quales sint istae interpretationes, multitudinem memorabilis est, quae quin aut omnes aut partim ex Varronis libris deprompta sint, non dubium erit reputanti Varronianae doctrinae summam quandam describi verbis, quibus illa inducuntur, his: „Habent quidem et illi (gentiles) fabulosa figmenta, sed esse illas fabulas norunt, et vel a poetis delectandi causa fictas esse asserunt, vel eas ad naturas rerum (ut deos selectos) vel mores hominum (cf. quae supra p. 14. exscripsimus: talium deorum sacra ex cujusque eorum vita esse composita") interpretari conantur (Vid. Tertull. adv. Marc. I, 13. V, 4. ad Natt. II, 3 sq. Arnob. V, 35. 43. III, 39.: „Varro qui rebus in substantia constitutis inanissimas subdit et res cassas cl. c. 35. fin. 36. fin. Hinc factum est, ut Varro a Servio Aen. XI, 787. appellaretur „ubique expugnator religionis." Vid. Merkel. l. l. p. CLXXXIX.). Atque Augustinus, quamquam parum profecisse Varronem arbitratur in deorum natura aperienda (C. D. VIII, 5.: „— quia nec ipsa illis ritibus significantur, quae Varro insinuare conatur, et ideo veritas conantem non sequitur." cf. VII, 33), tamen quantum auctoritatis Varronianis interpretationibus ipse tribuerit, toto opere de Civitate dei scripto testatus est, quantumque alii, depromendo Varronis praecepta ad religiones suas sustentandas, C. D. VII, 22. pronuntiat dicens, „Quaeso te, Varro, vel vos, qui tam doctorum hominum talia scripta legistis et aliquid magnum vos didicisse jactatis, interpretamini hoc, nolo dicere secundum illam aeternam naturam — sed saltem secundum animam mundi et partes ejus, quos veros deos existimatis." Habes hic exemplum ejus rei, quam Arnobius I, 1. sic pronuntiat: „— ne aut illi sibi videantur, popularia dum verba depromunt, magnum aliquid dicere —"; *) et Arnobium haec scribentem de Varrone, veterum theologorum principe, cogitasse et ultro conjectamus et ipse docet IV, 3. his verbis: „quod pepercit lupa — Luperca, inquit, dea est auctore appellata

*) Sententia horum verborum videtur esse haec: gentiles pietatem suam probare student usurpatis scriptorum suorum dictis cf. I, 36. 57. III, 34. 35. Arnobius enim, ut omnes omnino patres ecclesiastici, non religione sola sed quasi natione a gentilibus disjuncti esse sibi videbantur, unde etiam factum est, ut gentilium nomine veteris religionis cultores appellarentur. Popularia autem illa verba sunt litterae non quae crimina illa Christianis facta contineant, sed quae causas explicent, quibus majoris pietatis laudem veteribus quam Christianis concedendam esse confirmetur; vide c. 2. „Efficietur enim — deditos." Lectis demum Augustini illis verbis, simillimis his, eo adductus sum, ut a Bernhardyi interpretatione recederem, qui popularia verba esse dicit, quae favorem et assensionem populi nanciscantur, quod vel ei placebit, qui reputaverit „popularia verba" esse praecepta philosophiae stoicae, mirifice communi sensui, ut tum res erant, accommodatae.

Varrone." Quod autem longe gravissimum est, has interpretationes physicas in ipsis templis ad homines de vera deorum natura edocendos lectas esse, discitur ex August. Ep. 202. T. II. p. 825.: „At enim illa omnia antiquitus de vita deorum moribusque conscripta sunt longe aliter intelligenda atque interpretanda sapientibus. Ita vero in templis populis congregatis recitari hujuscemodi salubres interpretationes heri et nudius tertius audivimus." *). Talia, ut quae prorsus nova sint et mirum quantum abhorreant a veteris cultus ratione, nisi summo a partibus Christianorum antiquis religionibus imminente periculo fieri non potuisse intelligitur (de qua re vid. Tertull. ad Natt. I, 1. „adolescens jam numerus Christianorum." Arnob. I, 24. „jacent derisui antiquae caerimoniae." Prudent. c. Sym. I, 580. imprimisque August. Ep. XLII. p. 150. „templa collapsa — diruta — clausa" — cl. Ep. LVI. p. 262. de Cons. Ev. I, 25. p. 386. 388. 390.). „Salubres autem illae interpretationes" cujusnam ex scriptoris libris repetitae fuerint, quis affirmaverit? Et tamen Augustinus, ut aliis locis multis, **) ita hoc loco de Varrone videtur cogitasse, quamquam oppresso nomine. Nam non de Cicerone solo in antecedentibus verba facit, sed doctissimos viros dicit rempublicam, qualis sibi esse debere videretur, domesticis disputationibus magis requisivisse vel etiam descripsisse quam publicis actionibus constituisse, in quibus quod ait requisivisse de Cicerone, descripsisse de Varrone apte dici potuit. — Hac igitur philosophia duce Augustinus affirmat futurum fuisse, ut Varro ad veri dei cognitionem et ipse perveniret et alios perduceret, nisi oppressus „suae civitatis consuetudine ac legibus" (v. Aug. C. D. VI, 2. IV, 9. 29. extr. „viderunt haec intelligentiores gravioresque Romani" — VI, 6. „naturales deos colere cupis, civiles cogeris". c. 8. p. 355. B. c. 9. extr. vide supra p. 5.), fallere cives quam erudire maluisset.

---

*) Perutilia habentur in hac epistola, ut aurea illa Ciceronis sententia: „nullus patriae consulendi modus aut finis bonis", in quibus verbis ipsum principium libb. de Republ. deprehendisse mihi videor; quae quo jure ab Orellio p. 475. ad librum IV. relata sint, nescio. Alterum autem fragmentum hoc: „lege in iisdem libris" — omissum ab Orellio, ejusdem operis esse, docet August. C. D. II, 9. excitatus ab Orellio p. 476. Et quum de commodis Ciceroni ex Augustino parandis loquar, verba, quae ex Augustini alia epistola ap. Orellium p. 480. ut fragmentum libri quinti posita sunt" — rectorem, qui populi utilitati magis consulat quam voluntati", ex orat. p. Sulla c. 8. repetita esse moneam. Versus autem incerti auctoris ap. Cic. de invent. I, 19.: „Angues ingentes alites junctos (sic Aug.) jugo", ex Ennii Medea esse deprompios — quod opinatus est Bothius — confirmat August. Soliloqu. II, 15. T. I. p. 522. cl. Ep. 72. p. 336. Cf. Confess. III, 6. T. I. p. 82. D.

**) Ciceronem et Varronem, ut Romanorum scriptorum principes, Augustinus prae ceteris legit et usurpat: hinc ex Graecis Platonem et Aristotelem, ex Romanis Ciceronem et Varronem ut notissimos scriptores nominat c. Faust. Manich. XIII, 6. T. VI. p. 493., loco aliam quoque ob causam utili: „Quasi vero in litteris secularibus non fuerint certissimi auctores, sub quorum nominibus postea multa prolata sint — Hippocratis — Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum libros unde noverunt homines" —? Saepenumero autem Augustinus doctrinam Varronis etiam non nominato auctore in suum usum convertit. Cujus rei pauca ponam exempla — est enim spatiosissima — haec: de moribus eccl. cath. I, 4. T. I. p. 721.: „Quid ergo hominem dicimus? — — veluti equitem non simul equum et hominem sed hominem solum —" haec Varroniana esse ipse August. docet C. D. XIX, 3. — in Crescon. gramm. I, 14. T. VII. p. 214.: „sicut grammaticam graece, litteraturam latine viri doctissimi appellarunt"; Varronem autem hujus nominis auctorem esse multis locis a Ritschelio Discip. p. 7. positis certum est; meminit ejus etiam Seneca Ep. 88. p. 740. — Quin etiam Saturarum fragmenta augeri video novo versiculo ab August. de Musica IV, 15. T. I. p. 354. adhibito hoc: „Ver blandum viget arvis, adest hospes hirundo". Videtur enim hic versus esse, quem Arnobius ante oculos habuit scribens VI, 23: „hirundinibus hospitis, Varro ut scribit Menippeus." —

Atque alterum quidem verissimum est, alterum falsissimum. Nam ab improba ista recentium pontificum astutia, qua errore homines ad nescio qualem pietatem optime adduci putentur, Varronem alienissimum fuisse omnes ejus libri docent de rebus divinis scripti, utpote qui ad errores philosophia duce vitandos compositi fuerint omnes. At vero majorum auctoritate oppressus fuit: quod ita dijudicandum est, ut eum et Stoicae disciplinae sectatorem fuisse memineris et optimum civem, quod ipsi aliquando explicare studuimus, et quod nobis disertius nuper viri doctissimi Lasaulx (in oratione de studiis antiquitatis habita a. 1846. p. 12. et 14 sq.) et Ritschelius (Mus. Rhen. a. 1848. p. 408.) pronuntiarunt. Et fuit in Varrone ingenium ad philosophandum parum accommodatum — fatendum enim, ne temerarium de magni ejus viri philosophia judicium faciendo reliquarum virtutum laudes minuamus — sed singularis amor patriae, virtus civilis, doctrina, industria. Nam quid ille non quaesivit, quid non scripsit? Antiqitates omnis generis scrutatus est, praesertim sacras, de quibus hic agitur, ut renovanda castioris cultus veteri memoria, alter quasi Veturius Mamurius — libros suos ut nova quaedam labantis imperii Romani ancilia procuderet. Ejusque laboris socia ubique usus es philosophia. Atque hoc philosophandi genus displicuisse arbitror Ciceroni, viro cum Varrone summa amicitiae officiorumque societate conjuncto, sed toto ingenio diverso. Nam sapientiae quidem Varronis magna laus est in Philippica II., philosophiae parca in Academicis, nulla in Epistolis. Hinc illud explicandum videtur, quod Cicero — id quod mihi quidem semper mirum visum est — scribens de natura deorum, qui libri brevi post editos a Varrone libros Antiquitatum scripti sunt, Varronianae doctrinae nullam mentionem facit. Quid? quae a Cotta in tertio libro ad Balbum refellendum magno cum studio proferuntur, ea ita dicta sunt, ut ipsum illud philosophandi scribendique genus, quod Varroni proprium fuit, quo religiones majorum cum philosophorum praeceptis male componebantur, tecte vituperari videatur. Cujus generis sunt vel haec: III, 2. — „sed cum de religione agitur — pontifices maximos — non Zenonem sequor“ — ib. „a te enim philosopho rationes accipere debeo religionis, majoribus autem nostris etiam nulla ratione reddita credere.“ c. 3: „cur quod ne egere quidem oratione dixisses, de eo ipso tam multa dixeris.“ c. 4. „Mihi enim satis erat, ita nobis majores nostros tradidisse, sed tu auctoritates contemnis, ratione pugnas.“ Agnoscere in his mihi videor vituperatum Varronem „expugnatorem ubique religionis“, philosophum „auctoritate majorum oppressum.“ Quae si probantur, celeberrima illius libri conclusio „ita discessimus, ut Vellejo Cottae disputatio verior, mihi Balbi ad veritatis similitudinem videretur esse propensior“, oratio esse possit mitigantis amicum, vel metuentis non popularem invidiam, sed Varronis irascentis vultum: erat enim is, Cicerone teste, *δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο.* Desideramus, nec enim nego, ejus rei aliquam ipsius Ciceronis admonitionem; atque eam olim exstitisse possis colligere — utar enim conjectandi libertate concessa in rebus incertis — ex epistolae ad Atticum XV, 26. verbis mutilis his: „Varroni, quemadmodum tibi mandavi, memineris excusare tarditatem litterarum mearum. Mundus istum“...reliqua desunt. et ep. 29. „de mundo si quid scies.“ Videtur enim Cicero de mundo Stoicorum irriso in libris de Natura deorum Varronique excusando loqui. Hominem quidem nescio quem obscurum istum mundum esse parum credibile est. Sed talia quis affirmaverit? Illud intellexisse mihi videor, Th. Bergkii elegans judicium de Horatio factum Varronis judicia tacite examinante (proditum in libro de Reliqu. com. Att. p. 147., probatum illud Ritschelio l. l.) haud

incommode in Ciceronem posse transferri. Et ut jam ad Curionem revertar: sunt verba Ciceronis ad Atticum IV, 14. scripta haec: Velim domum ad te scribas, ut mihi tui libri pateant — cum ceteri, tum Varronis. Est enim mihi utendum quibusdam rebus ex iis libris ad eos, quos in manibus habeo (i. e. libb. de republ.)". Scripta autem est haec epistola a. 700., quo anno (aut paulo ante) etiam Curio scriptus esse debet; ut quaerendum sit, numquae in libb. de Republ. reperiantur, quae ad Curionem pertineant; et profecto ejus generis esse ea quae I, 36. leguntur, facili conjectura assequimur. — Atque haec satis dicta sint de Varrone theologo; subjiciam alia quaedam, quibus rerum in libro de Cultu deorum traditarum cognitionem promotum iri spero: idque faciam non minus utilitati studens quam brevitati.

Et Valerii quidem Sorani obscura memoria est; vide nostra de Causs. corr. rel. p. 14. et Meyerum, qui plenissime de eo tractat in Cic. Brut. p. 144. sq. Aequalis Varronis fuit major natu, et Scipione et Lucilio familiariter videtur usus fuisse; vid Gerlach in Lucil. proleg. p. XXXI. Mors ejus incerta est, vide quos Meyer excitat, add. Flor. III, 21, 26., qui de Sulla loquens „post haec, inquit, piget referre ludibrio habita fata Sorani praetoris." Versus a Varrone in libro nostro laudati, mentio facta est a veteri interprete in Martianum Capellam 731. in ed. Köpp. p. 584. *) „Unum quidem deum philosophi credebant, sed variis eum nominibus varioque sexu appellabant juxta illum versum Valerii Sorani." Sic enim scribendum videtur pro eo, quod editum est „illum usum." Miror versus illos sepositos esse a Gerlachio, praesertim quum aliqua similitudo intercedere videatur inter hos et Lucilianos illos ex principio libri primi servatos. Etiam in Sorani carmine duplex oratio fuisse videtur, una Jovis, altera deorum, siquidem recte conjectamus, ejusdem carminis esse versus a Servio Aen. IV, 638, et Mythogr. III, 1. laudatos: „Coelicolae, mea membra dei —", unde etiam explicari possit varietas versuum ab Augustino (fr. I.) citatorum. Orationum autem ejusmodi exemplum videtur fuisse nobilissima illa oratio Jovis in Platonis Timaeo, in qua diluenda multi sunt scriptores ecclesiastici (v. Cyrill. c. Jul. T. III. p. 38. 43. Athenag. p. 52. Just. Mart. Cohort. ad Gr. 20.). Denique librorum ἐποπτίδων titulus (Plin. N. H. praef. extr.) difficilem habet explicatum. Fortasse hoc nomine, ab Hecate τριόδων ἐπόπτιδε sumpto, ipsae illae epitomae significantur, quibus quid in singulis libris contineretur dictum fuit, ut harum quasi speculatricum ope singulae res quo loco positae fuerint facile inveniri potuerit. Ceterum Perottus in censura prooemii Pliniani in Cornucop. ed. Ald. p. 1049. — 10. ἐποπτίνδων profert, quam scripturae discrepantiam novissimi editores in re incertissima, ut mea quidem sententia fert, omittere non debebant. — Judaeorum sacra Romae ante Varronem nemo litteris persecutus est, nec fortasse potuit quisquam scribere. Nam Varro fueritne cum Pompejo, Hierosolymis expugnatis, in templo Judaeorum, quis affirmaverit negaveritve? Vid. Tacit. Hist. IV, 9. „inde vulgatum —" Expensis iis, quae de Varronis itineribus in Asia factis innotuerunt, perquam verisimile fit, fuisse Varronem in numero eorum, qui cum Pompejo templum

*) Martiani nomen admonet me παιδείας, Varronis limen intrantis (vid. Martian. §. 578.), in cujus persona minus recte C. F. Hermannum (praef. in Mart. p. XX.) Geometriam agnovisse aliquando (de phil. Varr. p. 24.) pronuntiavi. Id per errorem factum esse, ab ipso monitus, hac quamvis sera scribendi opportunitate arrepta, eo libentius profiteor, quod quantum adminiculi ei quam ego quoque teneo sententiam ex ejus viri doctissimi auctoritate accedat, haud ignoro.

intrarunt. Cf. Joseph. Ant. XIV, 8. de B. J. I, 5. Sed nolo jam in his diutius immorari, unum hoc monens, Judaeos videri diu ante Varronis tempora Romae fuisse Romanorumque animos in se convertisse; in Naevii autem comoedia Apella fueritne Judaeorum irisio, penes alios judicium esto, faciendum illud vel ex fragmento ap. Priscian. VI, 2. p. 225. Kr. hoc: „cui cepe edundo oculus alter profluit," ut Horatius illo „credat Judaeus Apella," (Sat. I, 5, 100.) Naevianas nescio quas facetias usurpasse videatur. — De mundo Stoicorum et de Numae capedunculis, quae res longiorem disputationem requirunt, alias dicetur.
